Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 593
Quelle:
Copyright:

pit: *In Principio videlicet quinque libri moyſi* &c. Multa in ea differunt ab Editis, et plerumque in melius, ut v. g.

Codex	Editio
Poſt diſpoſitionem igitur ueteris ac noui teſtamenti ordine librorum vel numerorum nunc curſim breuiterque in eis proemia narrationum ſubiciamus.	Diſputationes igitur veteris ac novi Teſtamenti ordine librorum vel numero curſim breviterque parva narratione ſubjiciamus.
Fedus quoque amiciciarum cum romanorum ducibus actaque legationum	Foedus quoque amicitiarum cum Romanorum ducibus factaque legatione.
Flumen etiam baptiſmi mundum vitę in dominum Ihesum chriſtum.	Flumen etiam baptiſmi, mundum lignum vitæ Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

X. *fol.* 51. p. 2. Brevis Obſervatio, quae incipit: *Hebraicarum litterarum formę duę ſunt. Una antiqua, qua ſamaritani utuntur. Altera poſterior* &c. cujus ab *Esdra* inventae occaſio narratur. Singulare illud, *Samaritanos πυρολατρειας* argui; legas enim: *Patrię conſuetudinem ſeruant, ignem colentes et iudaica mandata.* Definitur in Schema *Alphabeti Samaritani* jam tum in *Europa* noti, et ad illud multum accedentis, quod viſitur in Opp. *Rab. Mauri* edit. *Colon.* 1626. T. VI. p. 333. f.

XI. *fol.* 52. *Incipit prefatio beati Jeronimi presbiteri in libro interpretationis hebraicorum nominum.* Ita nempe: *Philo Vir Diſſertiſſimus iudeorum* &c. Ut apud *Valarſ.* T. *ſuprac. col.* 1. Omnia integra, etiam, quae Novi Teſtamenti ſunt.

XII. *fol.* 74. *Incipit praefacio domini Euſebii. ſophronii. ieronimi in libro locorum. ab euſebio pamphili ceſarienſi epiſcopo prius edito quidem in greco. ſed a prefato ieronimo poſtmodum diligentius ad latinum ſtilum translato.* Ut apud *Valarſ. col.* 121. hoc initio: *Euſebius qui a beato pamphilo martyre cognomen* &c. Pariter omnia integra.

XIII. *fol.* 94. *Incipit de Actibus apoſtolorum.* Libellus, ut laude dignus, ita *Hieronymi* aetate poſterior eſt, *Bedam*que potius autorem habet, apud quem extat Edit. *Colon.* 1688. T. V. *col.* 666. f. Ejus initium: *Acheldema ager ſanguinis, qui hodieque demonſtratur* &c.

XIV. *fol.* 97. *De epiſtola cuiusdam ſymeonis in qua ait de. X. nominibus quibus uocatur nomen domini autenticum.* Videlicet hebraice. Hanc, uti et ſequentem Particulam exhibet *Vallarſius* in *Append.* T. *cit. col.* 729. nihil tamen adnotat ad duo corrupta Nomina